HAIMO ALTISSIODORENSIS
3. Viertel 12. Jh.
Seite 243r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36535
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

Si autem hec ad celestem urbem referre uoluerimus flumen aque uiue in
telligamus contemplationem sce trinitatis in qua est sacietas eterne
refectionis. unde ad illud psalmiste. Satiabor dum manifestabitur
gloria tua. Hanc eius dicente ipso dno legimus. Ego sitienti dabo
de fonte aque uiue gratis. Hinc et psalmista ipsum esse fontem
ostendens dicit. Filii hominum in protectione alarum tuarum
sperabunt. inebriabuntur ab ubertate domus tue. et torrente
uoluptatis tue potabis eos. In hoc uero fonte est uita perpetua. qua
quicumque ad dei contemplationem peuenire poterit. habens dnm
de uita. ipse quoque uiuet in eternum. Quod uidelicet splendido
tamquam cristallus dr. qua uidelicet sua contemplatione perducet
ad firmitatem immortalitatis atque incommutabilitatis. Quod etiam
flumen bene a sede dei procedere dr. et in platea ciuitatis diriuari.
Quod enim est sedes. hoc est et platea ciuitatis. hoc est omnis eccla generaliter
sumpta diuersorum personas ita distinguit. Quia enim qui possidendo
regit ubertate sue uisionis satiat. bene in sede tamquam
fons redundat. Quia uero ipsa sua uisione singulis pro qualitate meritorum
distribuit iure in medio platee ciuitatis tamquam de fonte deriuari dicit. De sede ita quoque dei procedit.
et in medio platee ciuitatis redundat. ut uniuersi habitatores puriores inde hauriant pro meritis accipiant. quia licet
eadem uisio simul habeatur ab omnibus tamen pro singulorum meritis
unicuique distribuitur. Et ex utraque parte fluminis lignum
uite. Quod supra designat pro fonte aque uiue. hoc nunc etiam
designat pro ligno ex utraque parte fluminis positum. id est
contemplatio sce trinitatis. que angelica simul et humana
natura hinc inde satiat. Ipsaque uisionis potio ita est multi
moda. ut quicquid cuique in desiderio tenuerit. hec eadem uisio fiat. quando sicut apls dicit. erit ds omia in
omnibus. Sed nec mirum cum et ipsum manna filius israel de celo